frontem ingenuam a perfricata nequeunt discernere, censuere meretricis esse pedissequam.

Cap. XXI.

Atque hæc proculdubio causa est, cur cap. XVIII in ♋ ♌ ♏ & passim alibi adhuc unum & alterum scrupulum desit. Sed neque error deprehendi facile possit, cum observationes usurpatæ non incidant in apsidas & quartas octavasque temporum.

Conclvsio secvndæ partis.

Hactenvs itaque traducta fuit hypothesis primæ inæqualitati serviens (in qua Braheo cum Copernico convenit; utriq; vero nonnihil in forma a Ptolemæo dissentiunt) a medio motu Solis, quem omnes tres autores adhibuerunt ad apparentem motum Solis. Deindè ostensum est, sive apparentem motum Solis & hypothesin cap. XVI inventam sequamur, sive medium motum Solis & hypothesin cap. VIII ex restitutione Brahei propositam, utrinque sequi falsas distantias Planetæ a centro seu Solis (Copernico & Braheo) seu mundi (Ptolemæo). Itaque quæ prius ædificaveramus ex observatis Braheanis, posterius ex aliis ejusdem observatis rursum destruximus. quod necessario nobis contigit probabilia nonnulla sed revera falsa (imitatione priorum artificum) secutis.

Tantvm qvidem operæ datvm est imitationi hvic priorvm artificvm, qva secvndam hanc commentariorvm partem concludo.

COMMENTARIORVM DE MOTIBVS STELLÆ MARTIS PARS TERTIA.

INVESTIGATIO SECVNDÆ INÆQVALITATIS ID EST MOTVVM SOLIS VEL TELLVRIS.

SEV CLAVIS ASTRONOMIÆ PENITIORIS.

VBI MVLTA DE CAVSIS MOTVVM PHYSICIS.